



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Augurium mortis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

VENEFICIORUM AMULETUM. CAP. XIV.

Illud potius referam, hominem tutum à veneficiis per Lupi rostrum significari: quod persuasum est id si portis præfixum fuerit, veneficia ei non obesse familiæ, quæ ad eas illas inhabitet. Hæc vero veneficiorum commemoratio adducit in memoriam mihi, homines in Lupos transformari minime olim fabulosum habitum. De Demarcho enim Olympionica, qui demutatus in Lupum, decimo post anno rursus faciem receperit humanam, apud Pausaniam legere est, & apud Plinium: peculiareque id Arcadibus fuisse, ut trans paludem quandam proceffi, in Lupos abirent, & si per novennium humanas carnes abstinuissent, decimo post anno eodem reverti, unde transfeciti fuerant, ac in homines redire, decem annorum addito senio. D. etiam Augustinus de Civitate Dei, Varronem à hæc de Arcadibus memoriæ tradidisse.

*Plin. lib. 8.
cap. 22.*

PEREGRINUS. CAP. XV.

Civem ex Bove, animali quippe domestico, nobiscum alito atque educato significari loco suo diximus. Ex Lupo autem peregrinum intelligi, historia eadem ostendit. Danaus enim cum in Argivos movisset, peteretque Gelanorem expelli, qui tunc Argis imperabat, Lupum & Taurum pugnantes conspicatus, se Lupi vice statuens, quinam foret pugnae exitus operiebatur. Lupo vero victoria petito, adem Apollini Lycio vovit: atque ita rerum potitus est, cum facile civibus persuasum esset, Deos victorem Danaum per portentum ejusmodi designare, quod Gelanor inter eos eductus esset, hic vero peregrinus foris advenisset, itaque in Imperium ascitus expulso Gelanore eaque de causa in Argivo foro Lupi & Tauri invicem pugnantium effigies ex ære diutissime permanserunt, quas Pyrrhus Epirotarum rex inspectas exhorruit, domestici admonitus oraculo, tunc instare sibi fatalem diem, cum Lupum & Taurum pugnantes aspexisset. Quantum vero pertinet ad portentum, eadem sentiunt Pausanias & Plutarchus, Gelanorem per Bovem, Danaum per Lupum acceptos: sed in re gesta referenda in diversa abeunt, quod Plutarchus Danao portentum oblatum scribit, Pausanias civibus animadversum, civilique contentione de Imperio certatum dilatisque in alterum diem comitiis, mane monstrum id accidisse, populique judicium fuisse, ut Danaus in regnum admitteretur, Gelanor profugus solum verteret.

Pyrrhi Regis prodigium.

MACEDO. CAP. XVI.

Macedonem Herculis comitem, qui sub Ostride militavit, ea de causa per Lupum sculptum intelligi, Diodorus asserit, quod is Lupi gestamine delectaretur. Jam & Romani veteres Lupum inter militaria signa statuere.

SALII. CAP. XVII.

In recentiorum vero Imp. Theodosii, Honorii, & quorundam aliorum domestico canone, quo legiones ordinesque totius eorum militiæ recensentur, Saliorum quoque habetur insigne qui eo appellati nomine, sub militum Præfentiali nuncupato, militabant: parma quippe, cujus aureus erat umbilicus, quem ruber ambibat circulus, hunc alius latior violacei coloris admodum diluti, in summo cujus rosa erat, à medio Lupi hinc inde dimidii duo, qui ad florem superne positum spectabant, mox parma rubro margine claudabatur. Minime vero mirum, si qui Saliorum sibi nomen adsumerent, Martis etiam animalia in gestaminibus habere voluerunt.

Saliorum insigne.

AUGURIUM MORTIS. CAP. XVIII.

In aruspicina sanè invenias Lupum mortis auspicia fecisse: Maximino enim Imperatori, viro & bellicoso, exitum portenderunt Lupi circiter quingenti simul ingressi urbem, in quam ipse se receperat, cum in Italiam adversus Maximum & Balbinum profectus est. Et coloniam quam C. Gracchus instaurata Carthagine, quam Junoniam appellaverat, deduxisse fertur, infelicem futuram Aruspices dixere: propterea quod Lupi bis metas ibi positas subito incursum subvertent, infaustum hujusmodi ostentum esse asseverantes. Et ea Judæorum clade quam sub Hadriano passi sunt, Lupi & Hyæna per urbes passim irruentes ululabant.

Lupi aliquando portentosi.

PESTI-